

Franckesche Stiftungen zu Halle

**De Bello, In America An. MDCCLIV Lente Orto, Deinde
Potentissima Inter Evropae Imperia, Terra Mariqve, In
Qvatvor Orbis Partibvs Acerrime Gesto, Et ...**

Richter, Friedrich-Wilhelm

Huxariae, [1765?]

VD18 90806417

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)



195 D 91

Ha 33

[2167]

DE
B E L L O,
NVPER FINITO,
TERTIO CANIT SPECIMINE

E T

PRINCIPES REVERENDISSIMOS, SERENIS-
SIMOS, MAECENATES ILLVSTRISSIMOS,
ABBATEM SVMME VENERABILEM,
PATRONOS, FAVTORES, BO-
NAEQVE MENTIS AMICOS

A D
ACTVM SOLLEMNEM,

Q V O

SCHOLAE COENOBIALIS AMELVNXBORNENSIS CANDIDATI
DVO,

HOLZMVNDAE,

DIE XXVII. MARTII CIQ IC CCLXV.

HORIS POMERIDIANIS,

QVIBVS DEBENT, VLTIMVM DICENT VALE,


S V B M I S S I S S I M E I N V I T A T

FRIDERICVS WILHELMVS RICHTER,
HALA - MAGDEBURG.

COENOBII AMELVNXBORNENSIS PRIOR ET SCHOLAE DV CALIS RECTOR.

Huxariae, Typis Io, Georg. Christ. Herrnkind.

de
Begegnung
Gottes mit
menschlichen
Sünden
ist der Anfang
aller Dinge.
Für einen Menschen
wurde der Mensch
durch die Sünden
verloren.
Die Erde ist
durch die Sünden
verloren.
Gott ist durch die
Sünden verloren.



L. B.

Scholarum praceptores laudantur ab his, culpantur ab illis. Ratio in promtu est. Ligna eademque rudia committuntur illis formanda. Quod opus, aleae plenum, vbi ex voto succedit, laudi est magistris. Vbi vero ex quibusdam lignis Mercurios sculpere nequeunt, vituperantur ab iis, qui ligna suppeditarunt. Idem nobis etiam accidit. Non ad altiora euehore omnes disciplinae nostrae traditos possumus adolescentes. Nonnulli hinc etiam ad proletarios & capite censos relabuntur. Quod fortius debemus ferre animo, dum modo nostra inde absit culpa. Ad sunt tamen plures, quod magno nobis est solatio, qui sudorem docentium abstergunt eorumdemque excitant ardorem. His meliori luto praecordia finxit Iupiter. Qui quid in litteris & moribus proficere apud nos possint, ii euictum reddent, quos maturos hinc ad academiam cum laude iana mittimus. Iuuenum par est nobile. Agmen dicit Io. Godof. Car. Wilcke, Stadtoldendorf. Brunouicensis. Excipit illum Andr. Henr. Ritmeier, Brunsuigae natus, Abbatis Nostri, Viri Summe Venerabilis, filius secundus. Vterque iuuenis sex fere annos, ea, qua par est, industria, scholam frequentavit nostram. Non est, quod laudemus prefectus & mores eorum: quia Principibus Reuerendissimis & Serenissimis, Macecenatibus Illustrissimis probari s. epius egregiis hisce iuuenibus contigit. Adspiret clementissimum Numen abeuntibus suo fauore. Nihil nobis erit gratius, quam sartos illos teatosque ab omni periculo, omnibusque vel animae vel corporis dotibus, in posterum etiam, tam videre, quam audire cumulatissimos.

Principes Reuerendissimos, Ducem Serenissimum, Principem Serenissimam, Macecenates Illustrissimos, Abbatem summe Venerabilem, Patronos atque Fautores honoratissimos, ut nostris candidatis fauere, eorumque ultimum vale sua illustrare & coherestare praesentia ne dedignentur, obtestamur submississime.

A 2

Con-

Conspectus declamantium.

- Io. Godof. Car. Wilcke, Stadoldendorf. Brunouicens. de variis hominum aetatibus praefatus, lingua vernacula scholae valledicet.
- Andr. Henr. Ritmeier, Brunouicensis, de legum vtilitate loquutus, latine vltimum scholae dicet vale.
- Henr. Ant. Petersen, Holzmund. de fama versibus canet heroicis, felicem abeuntibus precaturus discessum.
- Frid. Georg Kotzebue, Furstenberg. Brunouic. de opere creationis versus proferet germanicos.
- Alex. Maur. Christ. ab Oeynhausen, Lippiens. de milite, gallica lingua, faciet verba.
- Wilh. Vlric. Petersen, Holzmund. Stultorum laudes, patrio sermone, efferet.
- Rudolph. Ernest. Rasch, Brunkens. Brunouic. societatis officia gallice describet.
- Aug. Ant. Eobald. Alers, Oelper. Brunouic. materna lingua, de vero & falso honore disputabit.
- Ioan. Christ. Röttiger Opdenacker, Einbeccensis, Petrum III. vituperabit, lingua vlorus vernacula.
- Ant. Christ. Vrban. Temme, Wenzen. Brunou. Petrum III. defendet, Germanorum adhibiturus linguam.
- Ernest. Henr. Bartels, Harderod. Brunouic. leges romanorum sumtuarias laudabit latine.
- Joach. Henr. Campe, Deensen. Brunouic. de capite censis vernacula edisseret.
- Herb. Adolph. ab Oeynhausen, Lippiens. Ernest. Car. a Zastrow, Brunouic. I. C. R. Opdenacker, Einbecc. A.C. V. Temme, Wenzens. Brunouic. Frid. Valent. Melsheimer, Negeboren. Brunouic. Frid. Car. Rasch, Brunkens. Brunou. Franc. Henr. Gottl. Oehns, Wangelsted. Brunouic. Io. Wilh. Hüpeden, Westerbrac. Brunouic. comico sermone de itinere loquentur non temere suscipiendo.
- Christ. Ferd. Heiland, Grena-Brunouic. gratias aget Serenissimis Auditoribus deuotissimas.

Lib.

Lib. II.

Quo nunc, Phoebe, iubes Musam conuertere primos
Vultus? Quas terras, quae saeui murmura ponti
Primum aperis timidae? Bellorum plura theatra
Vndique nam feriunt aures oculosque Camoenae,
Quam quae cuncta simul iustis discernere possit
Luminibus, nedum facili comprehendere versu.
Hinc maris irati surgunt spectacula rubra
Ad caelos: illinc horrendis motibus arua
Pulla sonant. Late Mauors effunditur atrox;
Et modo fluxa maris, modo terrae firma lacescit:
Donec nulla vacat pars orbis caede cruenta,
Et mare cum terris pestes deplorat easdem.
Classica dira sonant. Armorum ferreus horror
Ingruit Europae. Mox, eheu, patria dulcis,
In te cuncta ruent Mauortis crimina saeui.
Praecurrunt belli circumsona signa, timore
Cor vndans, facies gelido pallore notata.
Spemque metumque inter cruciantur pectora, Phoebus
Dum spargit radios celsa de sede polorum,
Et dum luna regit tenebrosa noctis habenas:
Attamen anxietas crescit venientibus umbris,
Sollicitos varia quae fallit imagine somnos.
Sic quorum in venis latitant minitania morbum
Semina, dum somno clauduntur lumina, pestis
Omina certa vident instantis. Somnia sensus
Non solum terrent, etiam ventura recludunt.
Sanguinis heic aliis fluuios, aliis videt urbes
Foede direptas, aliis se vulnere acerbo
In somnis laesum sentit, vitamque sub auras
Somniat ire suam. Gemirus ciet inscia lingua:
Adfines miseri mortem deflere videntur.

A 3

Et

Et quis cuncta potest componere somnia versu;
Quae Morpheus mittit, vel quae praesaga malorum
Mens potius fingit nigrisque coloribus umbrat?
Ast utinam ventis daret omnia somnia vanis
Orta dies, miseros quae torquent noctis in umbra
Mortales, nec, quae viderunt, tristibus umquam
Certa fides staret. Felices, non nisi laeta
Somnia quos recreant, quae caeli sole renato
In veras abeunt species! Sed pessima fata
Saepius horrificis circumstant pectora spectris,
Quae sol vera sequens ostendit. Nunc quoque certa
In somnis animi viderunt omnia luctus.
Quae longinqua fuit, bellorum scena propinquat,
Europaeque solum furiis discordibus angit.
Gallus adhuc Anglos alio vexauerat orbe:
In nostro segnis totas concesserat hosti
Clastes, atque manus non contra mouerat usquam.
Quo tandem Galli cadet haec patientia mitis?
Num vult inceptum cunctando ducere bellum,
Atque suis tantum damnis mollire Britannos?
Non ea pugnacis creduntur pectora Galli,
Qui non inferri patitur sibi belle suisque,
Sed potius toti fert primus praelia terrae.
Ergo subest aliquid, quod mox erumpet in auras.
O nautae, numquam tranquillis fidite ponti
Fluctibus, & caute ventos horrete silentes.
Excipiunt sudum caelum pelagusque quietum
Horrendae nubes tempestatesque sonorae,
Quae turbant aestus & summis infima miscent;
Ut modo caelorum tangant sublimia naues,
Et modo tartarei Ditis labantur ad antrum.
Ecce nouas hostis species aliasque figuræ!
Olim caeruleus Proteus varia induit ora,
Illudens dubiis spectantia lumina formis:

Nunc

Nunc ferus ignis erat, fluuius nunc lapsus abibat.
Hic Deus est Gallus: talem nunc conspicit omnis
Illum Europa, nouis quam concutit vndique bellis,
Inuoluens grauibus terrasque domusque ruinis.
Nunc indignatur, quas Anglus reddere non vult,
Ereptas classes, totusque ardescit in iras.
Aeblus iratus quum montis caeca tridente
Antra ferit, venti patefacta foramina quaerunt,
Et qua porta patet, late omnia flamme perflant.
Quantae tum strages miscentur in orbe rotundo!
Non aliter Galli noua classis portubus exit,
Tuque, Minorca, vides inimicae prima carinas
Classis, quae bellum tibi portant & mala belli.
Non tot equus quondam troianus corpora in urbem
Euomuit Troiam, quot nunc de nauibus altis
In te descendunt armati, parua Minorca.
Expositus miles cingit munita Britanni
Moenia. Tormentis vallum pulsatur & igne.
In statione manet Gallorum classis & ambit
Litora, ne possint obfessis castra venire
Angli subsidio & duros turbare labores,
Quies miles tendit murorum frangere faxa.
Quid facit inclusum munitis moenibus agmen?
Ut leo defendit se se castellaque firma:
Irridet primas Galli faciesque minasque:
Quot globulos ignis mittit, tot reddit eidem,
Auxilio fisum, quod Magna Britannia mittet,
Omnes Gallorum iam pridem edocta labores,
Vicinae contra structos castella Minorcae.
Anglis fama etiam tulerat conamina Galli
Sat eito: praesidium sed non misere repente
Sedibus obfessis Gallorum classe manuque,
Interdum varians prohibet sententia, magnae
Quo minus extemplo res belli tempore fiant.

Adr.

Adrepunt tandem, sed frustra vela Britanni,
Vincere nec Gallos, nec mittere militem in urbem
Poslunt obfessam: certe non ultima tentant,
Quae tentanda forent. Conuersis pupibus omnis
Angli classis abit, relegens, quo tramite prima
Venerat huc, pelagus. Sic spes quoque maxima fallit
Saepe homines. Angli victoris praelia fortis
Dum sperant, naues ipsorum nuncia fama
Atque ducem cessisse refert, Gallisque Minorcam
Relliquisse, parem nequaquam viribus hostis.
Interea Galli muros infestius arctant;
Et quia vicino cogunt de litore tela
Atque subinde viros: tandem natura locorum
Obfessaeque manus non poslunt sistere cursum
Fluminis hostilis, quod fluctibus omnia transit.
Non captiua tamen Galli venere sub hastam
Arma Britannorum: victis quoque libera mansit
Copia cedendi, quo cedere nauibus optent.
Ergo Gallorum iam legibus insula paret:
Conscendunt Angli naues patriamque reuisunt.
Non obfessorum virtus virtutibus hostis
Cessit: parua manus tandem submittere fese
Debuit ingenti numero, quo gallica castra
Creuerunt, dum turba minor decreuit in urbe
Quottidie. Victis igitur sua gloria semper
Salua viris stabit, totum vulgata per orbem.
Sat laudis meruit, delapsum montibus amnem
Qui breue vel tempus deflexit limite campi:
Quamuis cogatur tandem voluentibus vndis
Arma dare, atque alii se se committere sedi.
Sed quae dura tuum, dux classis magne, manebunt
Fata caput? Nisi te defendes fortiter, Anglus
De te supplicium sumet. Iam poena videtur
Te premere, atque tuam nigris addicere vitam

Ma-

Manibus. O vtinam pugnasses, donec in vndis
Vel discessiles victor, vel victus honesta
Morte parentales famae factisque tuorum!
Iam tibi fugisti damno, Gallisque saluti,
Insula queis cedit, suscepti palma laboris:
Te mors exspectat tristis, iacturaque famae,
Famae, quae nullis reparatur perdita nummis.
Mortales, turpem morti postponite vitam,
Officioque suo fungantur corda manusque,
Ut ne sera genas suffundat poena ruboris!
Sed me Musa trahit, restant grauiora canenti.
Nunc virtus Gallis redit in praecordia, postquam
Viderunt totas clastes fugisse Britanni,
Seque suis armis totam cepisse Minorcam.
Aestus vbi oppositas euicit gurgite moles
Aggeris, in campos stridenti murmure fertur,
Et non rura modo stagnantibus irrigat vndis,
Sed quoque ruricolae verrit pecorisque labores.
Tum videoas Cereris Bacchique benigna natare
Munera. Cum stabulis domini teftisque trahuntur,
Quo fera Tethys agit. Vix turres frontibus exstant,
Atque vacillanti nutu iam lapsa feruntur.
Lamentis hominum resonant pecorisque boatu
Sidera caelorum mariumque profunda vorago.
Ast non arcetur miserorum planetibus aequor.
Surgit in excelsum viresque acquirit eundo,
Laetaturque malis, queis funditus omnia vertit.
Sic etiam Galli, postquam castella Minorcae
Ceperunt, regnisque suis noua fulera dedere,
Hinc laeti se se diffundunt aequoris instar,
Et Germanorum multis cum milibus intrant
Limina. Cur nostros iterum, vicine, fatigas,
Galle, lares? Patriam cur tanto milite turbas?
Iniustis bellis speciem praetendere iustum,

B

Ar-

ARMORUM didicit studium Martisque cupido.
Saepe quidem nostros lacerauit Gallia fines:
Aet olim semper tentauit frangere vires
Austriacas: primum nunc neruos, Austria, venit
Adiutura tuos. Sociis fert partibus ergo
Auxilium Burbo. Quod quaeso sanctius umquam
Officium esse potest, laesis quam ferre paratum
Praesidium sociis? Deus hoc vult, iuraque poscunt
Gentium idem. Tales dum spargit Gallia voces,
Queis fingat, iusto se Marte ferire Sicambros:
Orbis totus ait, non praesto Caesaris esse
Burbonem rebus, proprii sed bella furoris
Illum in nostris saeuire ferociter agris.
Quod fentis etiam, discors Germania: Martis
Non etenim flamas extinguit gallica castra,
Ignibus accensis olei sed flumina pinguis
Infundunt. Igitur cunctis incendia surgunt,
Patria moesta, locis. Non saeuis ignibus Aetnae
Adpare similis, vincis sed guttura montis
Igniuomi potius, Ditisque cauerna videris
Ipsa nigri, latices ubi viuo sulphure manant.
Fabula si vera est Troiae: Neptunus & ipsa
Iuno furens rabie, Pallasque incensa furore
Non tantum iunctis sunt nixi viribus urbem
Et regnum Priami totum subuertere, quantum
Nunc Furiae patrias sudant conuellere sedes,
Atque aequare solo Germani regna laresque.
Musa stupet. Quae prima canet? Quae deinde sonabit
Praelia? Quasstantur patriae ciuilibus armis
Hinc partes: illinc regiones barbara Martis
Arma vident, dira quae sternunt omnia peste.
Theresiae in terras legiones, maximus heros,
Omnes effundit, Fridericus, celsa Borussum
Gloria, de nimbis excussi fulminis instar,

Quod

Quod prius arua ferit, quam lumine cernitur. Ipse
Dicit in hostilern campum sua robora, Martis
Veram progeniem. Ductis dat iusta, paeitque
Omnibus exemplo celebri. Pellaeus in arma
Qualis Alexander, proles inuicta Philippi,
Erupit, laudis qui fines fixit in orbis
Limite. Vel qualis dictator Iulius olim
Caesar romanas aquilas eduxit in hostes;
Omnibus inscribens terris vestigia famae
Nominis atque sui. Vel si non ista placebunt
Nomina componi cum magni nomine regis:
Optimus in Dacos dic qualis Caesar ad Istrum
Iuit Traianus, rediitque ornatus ad urbem
Victricis palmae signis & laudis honore.
Sed quae tanta iubet Fridericum cauila ciere
Tantos bellorum motus? Cur primus in hostes
Agmen propellit? Cur aggressoris acerbum
Non horret titulum? Fuso num sanguine gaudet.
Innumerae turbae? Terras sepelire ruinis
Num delectatur? Bellis se tollere ad astra,
Atque suum nomen seris vult tradere saeclis?
Nilne querelarum planetus, nil millia vocum
Curat, quae gemitu lacrimisque per aethera scandunt?
Non sic est notus telluris ubique colonis
Rex magnus, vel qua primus sol surgit ab vndis,
Vel qua Neptuni se fessum marmore tingit.
Non bellis natus, non armis lacte ferino
Est rex nutritus. Regis fuit ipse propago
Pacifici, pacis creuit studiosus & artis,
Qua mores hominum molles singuntur & aequi
Ergo solus habet laudes, queis floruit olim,
Humani generis quem laudauere Quirites
Delicium. Vitiis caret idem solus auernis,
Quae deturparunt regnum vitamque Neronis;

B 2

Non

Non ciues solum patriae pater intimo amore
Dignatur: quosuis homines sed diligit, ipse
Verus homo. Sceptrum non fert sibi, ciuibus illud
Praefert, quos optat felices reddere cunctos,
Auerruncando partim mala noxia ab illis,
Partim donando bona quaevis largiter iisdem.
Nullius in magni rex iurat verba ministri,
A cuius nutu solium dependeat, & quem
Poplitibus flexis populus ceu numen adoret.
Se prius ipse regit: populi tum solus habemas
Flecit, felicem qui se videt esse sub illo.
Quid de doctrina dicam, qua lucibus ipsis
Doctrinae tantum rex praestat, lumina quantum
Stellarum rutilo solis superantur ab igne?
Quae si tanta virum decorant virtutis & artis
Munera: cur Marti cupit indulgere cruento?
Cogit amor patriae: cogit, quod debet inermis
Ciuibus officium: propriae vult cura salutis,
Vnde salus hominum tot pendet, vt obuius hostis
Occurrat telis, queis impius imminet ipsi.
Insidias etenim sibi structas prouidus audit
Rex, quibus in cinerem redigatur fama Borussum.
Nec dubius tantum vulgavit nuntius istos
Hostis conatus: tenet omnia certa. Repente
Austriacos igitur num saeuis obruit armis?
Quod vel Traianus quondam fecisset & omnis
Rex alias, magnus Fridericus non facit. Armis
Abstinet & pugnis. Reginam interrogat, vtrum
Porro velit pacis secum connexa tueri
Vincula, nec coeco bello violare Borussos,
An bellis optet dulcem turbare quietem,
Quae tamen eximie regno conducat vtrique?
Otia se pacis Marti praeferre rebelli,
Nec sua reginac portendere castra tumultum.

Hun-

Hungariae princeps quid reddit vocibus istis?
Delphica non olim sparsere oracula Phoebi
Tam dubia ex auro tripodis responsa roganti
Turbae, reginae quam tum responsa fuerunt.
Non ea promittunt pacem, non bella minantur;
Spes sed inest pacis minor his formidine belli.
Consulo tam propriis, ait Austria, rebus in isto
Europae motu, sociis quam partibus. Ipsum
Officium nostraeque iubent curare coronae
Me decus, ut seruem tutos a turbine fines,
Nubila quo caeli terrent squalentia regnum.
Omnia militibus circum nos plena rebellant.
Quidni castra etiam, regni munimina, ponam?
Haec Istri princeps. Iterum rex quaerit ab illa:
Num, regina, mihi per te iam bella parantur?
Multa scio, certoque scio, sed, pacis amicus,
A te scire volo, quid credere debeat auris?
Si non Marte tuo me vis tentare quietum:
Da, regina, fidem, da dextram. Protinus arma
Deponam manibus, sciero quum, maxima princeps;
Quod nec in hoc anno, nec eo, qui deinde sequetur,
Me bello quassare velis. Tu sola docebis
Incertum. Credam tibi soli. Caetera, quae iam
Forte scio, nescire volo. Seruare memento
Foedera, quae mecum pepigisti. Pacis amare
Me pactum cernis. Iuro, regina, per omne,
Quod tibi, quod sanctum mihi stat, dextramque fidemque
Do tibi, quod Martis strepitus non moliar in te.
Sunt hostes, regina, mei, qui praelia suadent
Iam tibi: sunt hostes etiam tibi, Caesare nata.
Promittunt multum: promissis stare sed illi
Ne possint cupiantque, vide, generosa propago.
Dixerat. Haec igitur reginae corda mouebunt,
Pacis & in studium flectent ab amore tumultus?
Est sane raris virtutibus usque coruscans

Theresia insignis romani caesaris vxor.
Natura egregio reginam corpore finxit.
Luminibus Charites adflarunt munera tanta,
Occupet ut cunctos, queis principis ora videre
Contingit. Iuno foecundi viscera partus
Largita est, patriam queis stirpem larga bearet,
Exitiumque domus fulciret prole nouata.
Hac est parte sui sexus gemmata corona:
Laudibus at reliquis aequat trabeata virago
Ipsos heroes & palmam pluribus aufert.
Quo viget ingenio? Qua dexteritate labores
Suscepit imperii? Quantum doctas colit artes?
Quam praestans animi est non vieti cladibus ullis?
Ingentes animos possunt aduersa probare,
Fortia queis princeps obiecit pectora semper.
Fluctibus in mediis ceu stat marpesia cautes,
Aeolus & Tethys quam frustra vertere tentant:
Sic stetit in maribus bellorum Caesare creta,
Hostis inundauit queis olim patria regna.
Hacc regina, solo toto celeberrima sexus
Fama sui, solio nunc audit splendida ab alto
Voces, legatus Friderici quas tulit ipsi
Iustu iterum domini, toties responsa petentis.
Quid respondebit? Queis dictis ora resoluet
Denique? Dependent hinc orbis maxima fata;
Nempe salus hominum, vel pestis terricolarum.
Ergo ardent omnes audire, quid Austria dicat.
In primis magnus Fridericus pectore magno
Haeret suspensus, iucundae pacis oliuam
Dextra praetendens, gladium palmamque sinistra.
O regina, tuis virtutibus adde coronam
Hanc, ut pacis ames oleam, foedusque Borussum
Cum domino nexum serues, dum sidera caelum
Palceret & in verno nascentur gramina sole.
Pignus amicitiae cum magno rege per omne

Tempus firmatum te magnam sistere tantum
Et faustum poterit. Belli nil tristibus armis
Efficies contra regem, diuina Mineruae
Virtus quem tutum quoquis defendit ab hoste.
Ac velut Aeneam Neptunus in aequore saeuo,
Omnia quum mortem ferrent classique virisque,
Praestit incolumem, compescens voce tonante:
Quos ego: ventorum rabiem mariumque tumultus,
Nubibus & pulsis caelorum lumina reddens:
Sic sublimis adeat Friderico Palladis vmbro.
Ast Eridis pomum, certanda Silesia, pacis
Non sinit audita reginam voce moueri.
Est certum bellum. Sedet alto corde reposta
Telluris iactura suae, quam vindice dextra
Prendere vult princeps. Accedunt foedera magna
Regnorum Europae, totis quae viribus ardent
Austriacam fulcire domum, regemque Borussum
Opprimere & victum fama spoliare soloque.
Aut nunc, aut numquam. Quare dat fronte superba
Has voces regis legato Caeferis vxor.
Prima voluntatis nostrae responsa fuerunt
Lata tuo regi. Quae si non clara videntur:
Mox manifesta meae rex mentis signa videbit.
Dixerat. Haec velox ad regis nuncius aures
Verba tulit. Martis nunc sentit crimina nullis
Tolli posse modis. Inuitus ad arma iubetur
Confugere ergo heros, ad vtrumque paratus & aptus,
Seu quis bella velit, seu pacis pax praoptet.
Iam sua signa mouet, nunc demum castra virosque
Incudit Austriacis. Ceu neruo missa sagitta
Diuidit haud segni ventos aurasque volatu,
Et grauiter stridens subito, quae destinat, icit.
Saxoniam vero cur totam milite inundat
Tassilo, Saxoniam quae belli cruda prioris
Vulnera sentit adhuc, lacrimarum & flumine deflet?

Mantua erat miserae nimium vicina Cremonae
Olim, nunc miseris nimis est vicina Bohemis
Saxoniae tellus. Veluti via regia cuiuis
Calcatur, pedibus vel equis qui tendit ad urbem:
Sic quoque Saxoniam transit mauortius horror.
Atque utinam tantum transiret moenia & agros,
Nec fixam sedem terris sibi poneret hisce!
Ast quia cum reliquis coniunxit foedera Saxo
Hostibus in regem Fridericum: cogitur heros
Non transire modo terras, sed milite easdem
Communire suo, ne possit terga ferire
Hostis & illustres victoris fallere palmas.
Hinc illae lacrimae venerunt pinguibus aruis
Saxonis, hinc aestus belli mersere colonos.
O infelices terrae, queis ira deorum
Praefecit regis titulum, fraudesque ministri,
Ad cuius nutum regni torquentur habenae!
Regis habet nomen, qui terras possidet istas:
At Seianus agit regem saeumque tyrannum.
Hic homo, nobilibus tantum: maioribus ortus,
Nec Phoebi studiis formatus pectora cruda,
Arte mala summi scandit fastigia honoris
Atque potestatis. Domino nunc imperat atra
Fraude suo, dominique sui dominatur herilis
Nomine totius regionis finibus amplis,
Peruerse humano mansueti regis abusus
Pectore. Non quondam lernaeae dira paludis
Hydra tot Arguiis clades, tot vulnera mortis
Dente venenato centumque inflxit hiuncis
Faucibus. Astraeam terras rellinquere cogit;
Fasque nefasque pari commiscens turbine. Gazas
Congerit atticas, dum paupertate laborat
Incola, nudus opum. Prognatos sanguine regis
Deprimit, exaltans proprios ad sidera natos.
Caetera in posterum.

195 D 2

Abitur
Festchrift und m

195 | Und wogt jenseit der Mitternacht mit
dem Nachtwirken auf der Erde die Welt der Finsternis
und des Krieges. Aber auch hier ist die Hoffnung nicht verloren.
In der Mitternacht kann es auch eine Zeit der Erfahrung
vorrat haben, wenn es darum geht, dass man sich auf das
eigene Schicksal einzustimmen weiß. Und in der Mitternacht kann
die Hoffnung nicht verschwinden, wenn es darum geht, dass man
wieder hofft, dass es möglich ist, wieder zu hoffen.

195 | Und wogt jenseit der Mitternacht mit

W 18

